



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam
interpretis donatus

Iter ad coelum in quatuor partium Semitas seu partes, & Fasciculum
Myrrhæ

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

cap. 6. De charitate erga proximum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49363)

CAP. VI.

De Charitate erga proximum.

S. Thomas.
S. August.

I. **M**otivum Charitatis proximi idem est cum
motivo Charitatis Dei, & hoc est: *Divina bonitas
increateda*, secundum Angelicum: vel ratio summi
boni beatificantis, secundum Augustinum. Ideo
S. Thomas exponit exemplo potentie visive: nam
quemadmodum hæc pro motivo videendi habet co-
lorem (quod enim videt, aut est color, vel co-
loratum) ita motivum Charitatis est Deus: ut
de id, quod amat, aut est Deus, aut propter
DEUM: aut DEUS, aut Divinum. Et hoc est
intrinsecè, veluti est proximus, capax Beatitudinis
Divinæ; vel extrinsecè, veluti sunt alia creature
Beatitudinis incapaces; sed nihilominus ordinabiles
& referibiles ad gloriam DEI. Hæc est natura
ac proprium Charitatis officium: amare DEUM
in se, talem *per essentiam*: amare DEUM in pro-
ximo, tali *per receptionem*: amare DEUM in om-
nibus creaturis, talibus *per ordinationem*. Im-
mensa vis Charitatis Divinæ! Non in alio nisi in
Divinitate sibi complacet: spernit quodcumque aliud
objectum creatum: solum in increato bono hinc ob-
tutum, & propter increatum amat quoque bonum
creatum.

Unde conspicitur, quàm immensa sit Charitatis
amplitudo: cunctas amplectitur res, & creatas, &
increatedas: creatas, amando eas amore concupiscentiæ,
ut bona concupita propter DEUM: & increatedas,
ut sunt Personæ Divinæ, Pater, Filius & Spiritus
sanctus; amando eas vero amore amicitie propter
seipsas, & propter summum bonum, quod habent
in se.

2. Vidimus motivum Charitatis proximi : videamus modo materiam , circa quam versatur. Hæc est , quidquid est capax Beatitudinis : aut in actu , ut sunt Beati in cælo ; aut in habitu , ut sunt iusti in terra : aut in potentiâ , ut sunt peccatores , quorum excluduntur damnati , utpote aeternæ Gloriæ incapaces propter Divinam iustitiam. Et quia Beatitudo est motivum & objectum formale Charitatis proximi ; in quo plus Beatitudinis reperitur , eadem etiam amplius suam debet impendere amorem Charitatis. Quapropter proximum , esto etiam sit peccator , amare debet ; sed magis iustum , & multo magis Beatum.

3. Dicitur est de eo , quod superponit Charitas , nempe de Beatitudine , tanquam ratione amandi ; & de Beato ut beatificabili , veluti objecto , quod amatur. Jam dicemus , in quo consistat , & quâ ratione exerceatur hæc Charitas proximi : explicabiturque essentia & qualitas actus virtutis hujus : quorum alii qui sunt interni , externi alij. Ac primò tractabitur de internis , de externis postea.

Secundum S. Thomam , quatuor sunt actus interni Charitatis proximi : Amor , Gaudium , Pax , Misericordia.

S. Tho. 2. 2. q. 28.

Quantum ad Amorem , cum actus Charitatis proximi sit Virtus Theologica , pro motivo & causa debet Bonitatem Dei : Ratio Summi Boni beatitudinis est motio Amantis , veluti supra dictum est cum S. Augustino. Quod idem confirmat S. Bernardus : *Vt perfecta iustitia sit diligere proximum , Deum habere in causa necesse est : unde oportet , Tract. de*

S. Bern. Tract. de

Tract. de dilecto prius , ut in Deo diligere possit eum proximum. diligendo ait dicere S. Doctor : ut Amor proximi sit Amor Charitatis supernaturalis & Divinæ , necesse est , procedat ab Amore Dei , tanquam à vera causa. Unde sequitur , quod Amor proximi , ut sit verus Amor proximi , non debeat esse Amor solitarius , qui sit solus Amor proximi , & non Amor Dei : sed proximi simul & Dei Amor sit , oportet. Quapropter eodem actu amandus



est proximus & DEUS: Charitas enim est
proximum, in quantum est capax DEI, &
quantum est particeps (vel in actu, vel in
tentiâ) Beatitudinis DEI. Debemus diligere
proximum (docet Cajetanus) non ut amicum hu-
manum, sed ut amicum Divinum, amicum in DEO
quia ratio amandi est DEVS. Unde idem actus
Amoris terminatur simul ad DEUM & ad proximum
& primò ad DEUM, prioritate tantum causæ & na-
turæ (veluti loquuntur Philosophi) Quemadmodum
(& est exemplum S. Thomæ) eadem visio: ocu-
lus videt colorem, & videt lumen: quia videt colorem
in quantum participat lumen, & virtute luminis: prius
videt lumen prioritate naturæ, quia lumen est
causa videndi colorem.

Ratio hujus veritatis manifesta est. Quia, licet
DEUS est prima & summa entitas, & omnia sunt
propter DEUM; ita DEVS est prima & summa ama-
bilitas, & omnia sunt amabilia propter DEUM.
Sicut ergo proximus non habet esse à se & propter se,
sed à DEO, & in DEO; ita non est amabilis à se, &
propter se; sed propter DEUM, & in DEO.

Præterea, Amor, quo quis fertur in Deum, debet
esse amor perfectus, quo ametur Deus non solum
sed etiam totaliter: quia totum, quod ad Deum pertinet,
homo diligere debet. Quam ob causam Deum amare
debemus non tantum intensivè, & in seipso, verum
etiam extensivè, in quantum communicatur & reperitur
in creaturis: adeoque Deus ipse, & creature propter
Deum diligendæ sunt.

Hinc inferi S. Thomas, actum amoris proximi
(loquendo de Amore proximi, in quantum etiam in-
cludit dilectionem DEI) esse magis intensivum
majorisque perfectionis, quam actum Amoris DEI
præcisè sumptum. Quia dilectio proximi includit dil-
ectionem Dei, tanquam causam & motivum, sed dil-
ectio Dei non includit dilectionem proximi.

Ulcèrius, pro meliori noticia, quænam sit causa
Amoris proximi, advertendum est, Deum Amorem hujus

causam, non solum tanquam Bonitatem Beatifi-
 carent; verum etiam ut Bonitatem Amantem. Cum
 enim Deus amat proximum, eundem nos quoque ama-
 re debemus: sicut enim *vera amicitia facit unanimes,*
ejusdem voluntatis & amoris; amicorum unit-
 uates & amores in idem collinantium objectum.
 Quod si aliquis diligeret aliquem hominem, amore ipsius
 illi ejus amaret, etiam inimicos sibi. Tertia causa
 amoris hujus est Deus ut ordinans & precipiens. Hoc
 mandatum habemus à Deo, *ut qui diligit Deum, diligit*
fratrem suum propter amorem Dei: tamen actus
 huiusmodi ultimo motu procedens non sit actus Charitatis,
 sed Obedientiæ, quæ actum Charitatis ad proprium
 suum ordinat finem.

4. Præter has tres causas Amoris proximi ex Bo-
 nitate, Amore & Ordinatione Dei desumptas, alia
 adhuc superest causa dependens à Christo. Etenim
 caritatem nostram amare debemus, non ut amicum
 & fratrem Dei ducaxat; sed etiam ut fratrem Christi,
 proculsusque ejusdem sanguine redemptum. Unde
 ait S. Bonaventura: *Respiciamus proximum,*
ut morte Christi redemptum, & sanguine Christi
redemptum: & anima proximi cum sanguine Christi
unit in cor nostrum. Quia verò hæc materia
 caritatis seu motivorum Amoris proximi valde uti-
 lis est, & plurimum conducit ad illius praxin, serio
 in principio actionum advertendum, & quodnam
 sit motivum illud, quod ad diligendum proximum
 nostrum nos stimulet concitetque, examini subiicien-
 dum est, an, nimirum, sit humanum, vel Divinum?
 Caritas movet, an cupiditas? Et si principium ope-
 rationis nostræ de Terrâ, & non è Cælo procede-
 re apprehenderit, aut ab incepto opere desi-
 stendam, aut mutandum est motivum. Ut de hoc
 pacto tanti momenti securus & certus efficiatis,
 parata semper ambulate coram Deo, & in præsentia
 Dei, & in Amore Dei: colligendo in præsentia Dei
 præsentiam creaturarum, & in Amore Dei earunden-
 dem.

S. Th. 2. 2.
q. 25. a. 8.

S. Bon.

S. Bona lib.
sim. c. 7.

S. Gregor.



Quod si desideres signum, quo cognoscas, quod Amor proximi nascatur procedatque ex Charitate Dei, & quando ex cupiditate; ad effectum talis Amoris tibi attendendum ex advertendum. Enimvero si crescendo in Amore proximi, cresceris quoque in Amore Dei, indicium erit, Amorem tuum proximi verum & sanctum esse Amorem siquidem proximum amas propter DEUM; at, si è contrario crescendo in amore proximi, non crescas simul, sed decrescas & deficias in Amore Dei; signum erit, tuum Amorem proximi non esse Amorem proximam supernaturalem & propter Deum, sed esse Amorem in carne & sanguine fundatum, qui non recipiet mercedem promissam ac debitam pro Amore proximi, qui est Amor celestis & Divinus, quia est Amor propter Deum & in Deo. Neque sufficiat de primo actu interpo Charitatis proximi, qui est actus Amoris: cui correspondet (tamquam actus contrarius) Odium proximi, quod temperare nobis fugiendum est: siquidem cum Odium proximi conjungitur, aut explicite, aut implicite Odium DEI. Quapropter odio non est habendus

s. Tho. 2. 2. q. 43. proximus: secundum id, quod habet à Deo, scilicet, secundum Naturam & Gratiam: bene quidem odio habendus est, secundum id, quod habet à se, & à Diabolo, scilicet, secundum peccatum & naturalem defectum.

5. Secundus actus internus Charitatis proximi est Gaudium, quo lætamur de bono proximi. Et quomodo admodum virtus Charitatis Dei inclinatur nos ad gaudendum de bono Divino intrinseco, simulque ad desiderandum ei bonum extrinsecum creaturam; et eundem modum vera proximi Charitas nos inclinatur ad collatandum de bono, quod habet, & ad desiderandum ei id, quod non habet. Quocirca sanctus Apostolus nobis duplex gaudium, quo gaudere deberemus: Gaudete in Domino semper, inquit, dico gaudete. Quod idem est, ac si vellet dicere: Gaudete semper de bono DEI secundum se; & semper gaudete de bono proximi propter DEUM. Hic

hinc secundo actui Gaudij oppositum est vitium In-
 vidia, quæ est tristitia de bono alterius, ut judicatur
 in contrarium propria gloria. Ubi advertendum,
 quod pluribus modis quispiam dolere possit de bono
 alterius: primò dolere potest de bono alterius tan-
 quam non suo sibi: & hic dolor non est Invidia, sed
 Timoris affectus, quomodo timerat exaltatio & pro-
 motio inimici. Secundò, tristamur de bono pro-
 ximi, non quia is habet illud; sed quia nos illud
 non habemus: & hæc tristitia seu dolor neque est
 Invidia, sed Zelus: & si est circa virtutem, lau-
 dabilis est, juxta consilium Apostoli: *Emulamini*
in bonis. Tertiò dolemus & contristamur, in quan-
 tum proximus indignus est illis bonis: & hic dolor
 prohibitus est in Sacra Scripturâ: *Noli amulari in*
malis proximi. Tum quia est justa Dei dispositio;
 tum etiam, quia hæc bona temporalia cum æternis
 comparata nullius quasi sunt momenti. Quartò de-
 neque contristatur quispiam de bono proximi, in
 quantum est proprii boni obscurativum, *Et in quantum*
alter excedit ipsum in bonis: & hoc est malum, & proprie
 Invidia est, quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scili-
 cet de bono proximi.

S.Tho. 2.2.
 q.36.a.5.

1. Cor. 14.

Psal. 36.

S. Basiliius
 in hac vita, Hom. de In-
 vidia.

S. Greg. lib.
 1. Moral.
 c. 14.

Remedium à Sanctis propositum contra hoc vi-
 tium, est, *Nihil estimare magnum in hac vita,*
 non divitias, non scientias, non honores. Sicque
 nulla te invadet tristitia, nec minimùm affligeris,
 quod in eisdem proximus tuus te superet excedatque;
 sed è contra magni æstimabis bona cœlestia, æter-
 namque Gloriam. *Quia possidentium numero non au-*
gescunt, & una omnibus est, & singulis tota: ac
 propterea nequit ibidem esse Invidia, omnes namque
 gaudent Deo, nec unus impedit, aut diminuit bo-
 num alterius.

Quando igitur opprimeris infestari sive cogitatio-
 nibus Invidiæ (quæ personas præsertim spirituales in-
 vadere solet) hæc duo considerabis puncta, vanitatem
 bonorum præsentium, & æternitatem futurorum: ac
 dicet: non amo, nec quicquam æstimo vitæ hujus bona,
 K 5 ideòque

idedque in iis me ab aliis superari flocci facio: nec est, quod ullum dem locum Invidia. Amovigique facio bona alterius vitæ, ubi nullus malis obiaculo, quò minus totum Deum meum possidem, æternaque ejus fruatur Gloria.

6. Tertiùs actus internus Charitatis proximi est Pax. Quia cum quis diligit proximum, sicut seipsum, vult implere ejus voluntatem, sicut et seipsum: Et idè amicorum idem velle, Et idem velle. Et hæc Pax non est qualibet consensio, sed consensio bono principio: nonnisi inter bonos, virtutibus præditos reperitur. Hoc igitur proprium est Charitati proximi, ut non tantum gaudeat exalterque de bono ejus; verùm etiam ut in bono sese conformet ejusdem voluntati.

Huic virtutis actui opponitur vitium Discordia. Et dicitur Discordia: Quasi Diviso cordium & voluntatum. Hæc Dissensio, Paci contraria, triplex est: Discordia, ut est in corde: Contentio, ut est in ore: Bona ut est in opere.

7. Quartus & ultimus actus internus Charitatis proximi est virtus Misericordiæ, quæ est Discretio de alienâ miseriâ estimatâ ut propria. Quomobrem, sicut interveniente Amore diligit amicum sicut seipsum; ita amici malum percipit tanquam proprium: & eò magis, si unioni affectus addatur ejusdem mali communicatio & experientia: cum, secundum Philosophum, Similes in miseriâ magis commiserentur.

Hi sunt actus interiores Charitatis erga proximum exercendi. Debemus amare nostrum proximum, exultari de bono illius, contristari de illius malo, & consentire proximo in bono. Jam dicemus de actibus externis.

8. Actus externi Charitatis proximi, secundum Doctorem Angelicum, tres enumerantur: Beneficentia, Eleemosyna, Correctio fraterna.

Primus est Beneficentia: etenim non solum proximo exhibere tenemur benevolentiam, volendo, sed etiam Beneficentia ei bonum interne; sed etiam Beneficentia

etiam in eundem exercere debemus, externè benedicendo ei. Hic actus Beneficentiæ in omnes homines exerceri potest: omnes namque statum mutare, & omnes ad paupertatem redigi possunt. Solus excipitur Deus, qui nequaquam novæ perfectionis capax est: alit quamvis, ut docet S. Thomas, non possimus DEO benefacere; possimus tamen Deum honorare, nos ei subijciendo. Et hanc virtutum tantam propria passio consequitur Gaudium & lætitiâ: largiri aut auxiliari amicis, vel extraneis, est delectabilissimum. Ratio est, quia vi & virtute Amoris quod de bono illo, quod recipit proximus, venit proprio. Et præterea, quia Deus cum eadem mensura, imò majori, bonum, quod proximo prestamus, nobis reddit. Optimum igitur medium est, ut semper vivamus in gaudio & lætitiâ, semper benefacere proximo, tanquam amico Dei, & propter Dei amorem.

Post Beneficentiam, secundus & tertius Charitatis proximi actus sunt Eleemosyna & Correctio fraterna. S. Th. q. 33. Utque actus est actualis sublevari miseria proximi: sed Eleemosyna, miseria corporalis, Correctio fraterna, miseria spiritualis. Hos actus erga proximum exercere debemus, opem eidem ferendo in quacunque necessitate, tam corporali, quam spirituali. Huic virtuti Correctionis fraternæ opponitur peccatum Scandali, quod est dictum vel factum, quod minus rectum, præbens alteri occasionem peccandi: quod omni studio, cura & diligentia, utpotè virtuti Charitatis summopere contrarium, fugiendum nobis est. A quo (secundum D. Angelicum) libera sunt perfectione perfectæ: & à scandalo activo, quia nihil inordinati agunt: & à passivo, quia immobiliter inharere in immobili, scilicet, in Deo.

Superest, exponatur modus, quo hæc virtus ad praxim reducenda sit. Optimus ille est, qui eruitur ex imitatione Charitatis Dei: cum Charitas nostra Charitatis Divinæ sit participatio. Tunc igitur nostra eo erit perfectior, quò magis accedet ad suum prototypum, tanquam idæam, quæ est Charitas Dei.

Deus

S. T. 1. 2. q.
19. a. 2.

Deus ergò, amat se, & alia extra se: se ut finem, alia, ut ad finem. Et vult dicere: Deus amat, tanquam objectum motivum, movens ad amorem creaturarum: & amat creaturas, tanquam putum objectum terminativum, terminans, & non movens Amorem suum. Quapropter actus Amoris Dei per est idem: sive sint, sive non sint creature: quæ adæquatè innititur & quiescat in Deo, tanquam objecto primario: & objectum secundarium creaturarum contemplatur simplici visione aut intuitu, absque ulla ab iisdem dependentia. Quia de causa Deus magis quam amat proximum solum: neque prius proximum, quam seipsum: neque simul cum seipso, sed prius seipsum prioritate causæ seu naturæ (in quantum Amor Dei est causa Amoris proximi) deinde proximum.

Simili prorsus modo constitutus esse debet Amor noster versus proximum. Id, quod nos movet ad amandum, haud debet esse proximum, sed Deus. Proximus Amoris nostri terminus duntaxat, Deus movens in oportet. Propterea sine ullâ à proximo dependentiâ debemus nos quiescere, stabilire, & quiescere solum in Deo: sive sint, sive non sint creature: sive salventur, sive non salventur homines. Præterea amare debemus proximum nostrum, non solum, nec simul cum Deo, sed post Deum dependenter ab Amore Dei. Amor noster erga Deum constitutus esse debet, instar firmæ columnæ: ut turris supra firmam petram (velut dicebat Christus) quæ semper in eodem loco persistit immobilis, tamen aër ambiens mutetur: quia non innititur aëri ambiens, sed firmæ petræ, in qua fundata est. Ita Amor noster erga Deum solum fundandus est in firmâ columnâ, quæ est Deus, & non in aëre ambiente creaturarum contingente subiecturæ mutationi.

Denique totos nos impendere debemus Amori proximi nostri: primo, oculo Fidei, considerando eum, tanquam Filium Dei, fratrem Christi, & vitæ æternæ capacem. Secundò, intellectu, non considerando eum inspiciendo defectus eius; sed, si qui occurrerint, considerando illos: considerando virtutes, quibus dotatus est.

potest: enim verò, qui modò imperfectus est,
 Gratia adminiculo sanctus ac perfectus evadere potest.
 Tertio, voluntate, optando, desiderandoque e omne
 bonum, congratulando de bono, condoleo de malo
 eius, & conformando se in bono volitioni & nolitioni
 eadem. Quarto, ore, nunquam malè, sed benè
 de ipso loquendo, & quando id fieri nequit, tacendo.
 Quinto, opere ipso præstando ei bonum quodcunque,
 nullam præmittendo occasionem, quã eidem auxi-
 lium præbere possimus: & maximo amore
 ac studio procurando ei bona spiritualia animæ: &
 in hunc finem salutis spiritualis proximi exhibendo
 nos promptos paratosque ad profundendam proprium
 sanguinem & vitam pro spirituali illius vitâ & salute.
 Item hoc in exercitio Charitatis proximi, princi-
 palis scopus, in quem collimes, debet esse Christus
 D. N. cõtemplando Christum in tuo proximo.
 Quando Christus Saviour noster non se à nobis dis-
 tinctum promissit, dicens: *Eccæ ego vobiscum sum*
usque ad consummationem sæculi: id (juxta exposi-
 tionem S. Augustini) intellexit de membris suis:
Eccæ ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi,
scilicet, in membris meis. Omnes igitur proximi tui,
 per omnes Mundi partes divisi, veluti tot Christi à
 se respiciendi sunt, quia locum Christi obtinent,
 inquam fratres & imagines Christi, in quibus
 Christus recipit bonum & malum, veluti propriæ suæ
 personæ illatum.

Hic est modus, juxta quem te dirigere ac vivere
 debes in Charitate proximi. Et si is tibi videatur
 arduus & difficilis, considera sententiam S. Augustini:
Charitas proximi est laboriosa in Terra, sed gloriosa in S. Aug:
caelo, ubi abundantem nobis conferet gloriam. Sicut
erit, inquit idem S. Doctor, portant, & portantur à
penarum sarcina: portant illas in terra, portantur ab illis
caelo: sic & nos, si portemus in Terris alas Amoris, ista
ut ad Cælum portabunt.

Exercitium hoc terminabitur quadam protestatione
 proposito singulis diebus manè faciendo,

Pro-

Protestatio erit hujusmodi: Protestor, quod, quod
quid hodie beneficiorum præstitero meo proximo,
non propter motivum aliquod humanum; sed propter
Amorem Dei præstabo: quia est capax Dei; quia
præcipit Deus, & quia Deus amat ipsum; & inquit
quia est frater Christi, qui ipsum pretiosissimo san-
demit sanguine.

Propositum erit benefaciendi proximo meo, sicut
CHRISTO, & sicut mihi. Primum, sicut CHRISTO,
qui dicit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi
fecistis.* Secundò, sicut mihi, juxta illam legem:
*Quod tibi vis, alteri feceris: & quod tibi non vis,
alteri ne feceris.* Hisce duabus instructus regem
semper ambulabis in via supernaturali, & cum mo-
rito, in Amore tui proximi: imitaberisque in colen-
do, in Amore tuam Virginem, cujus in Templo, veluti ceterarum

S. Bon. 2.2.

medit. Vite

Chr c. 3:

S. Elizabethæ, principalis cogitatus & intentio huius
fuit, ut, nimirum, ordinaret cor suum ad Amorem
& odium: ad Amorem Dei & proximi, &
ad Odium peccati.



EXER.